

18

Divina adfulgente Gratia!  
DISSERTATIONEM GRADUALEM,  
**QUATUOR ENNEADES**  
**THESIUM**  
**PHILOSOPHICARUM**  
**COMPREHENDENTEM,**

Ex Consensu Ampliss. Colleg. Philosoph.  
in Reg. & Illustri Atheneo Aboensi,  
MODERATORE

Max. Reverendo atque Amplissimo VIRO,

**DN. MAG. CAROLO  
MESTERTON,**

Log. & Metaph. PROFESS. Reg. & Ordin.

Publice ventilandam seruit,  
STIPENDIARIUS REGIUS  
**PETRUS ASPMAN,**

WESTMANNUS.

In Auditorio Maj. V. D. die XXVII. Jun.

MDCCL.

*Horis ante meridiem solitis.*

ABOÆ, Impressit DIRECT. & Typogr. Reg. Magn. Duc.  
Finland. JACOB MERCKELL.

*Candidat. Joh. Gottmarik*

Admod. Reverendo atque Praclarissimo VIRO,  
**Dn. Mag. CAROLO BROWALLIO,**  
Kopingensium PASTORI & PRÆPOSITO Dignissimo,  
AVUNCULI loco colendo.

Plurimum Reverendo & preclarissimo VIRO,  
**Dn. PETRO KOLBECKIO,**  
PASTORI in SWEDWY Meritissimo,  
FAUTORI Certissimo.

plurimum Reverendo & Praclarissimo VIRO,  
**Dn. PETRO ARBORELIO,**  
PASTORI in SABY Vigilantissimo,  
CONSOBRINO meo Optimo.

PATRONIS ET FAUTORIBUS OPTIMIS.

**T**anta , Fautores & Patroni Exoptatissimi, in me  
Vestra omni tempore exsisterunt benivolentie documenta,  
ut si vel maxime Paterna appellavero, minora illis inferioraque  
omnia dixerim. In gratissime itaq; mentis indicium hoc opuscu-  
lum Vobis consecrare sustinui, spei plenus, fore ut illud be-  
nigno adspiciatis vultu, meque in posterum solito favore amplecti  
hanc dedignemini. Rectorem Olympi assiduis precibus orabo, ut  
Vos Salvos, sospites & omni prosperitatis genere cumulatissimos  
ad seram usque senectutem servet ac tueatur.

Admod. Reverend. & Praclariss.  
Nominum VESTRORUM

cultor observantissimus,  
A. & R.



D. D.

TH. I.

**P**hilosophia Rationalis ex Psychologia Empirica dependet, & principia sua inde mutuantur.

TH. II.

Psychologiae Empiricæ usus in doctrina Juris Naturalis est irrefragabilis.

TH. III.

Quemadmodum Logica intellectum præparat ad cognoscendas veritates, ita Metaphysica principia suppeditat, quibus opus habemus in cognitione veritatum.

TH. IV.

Quoniam disciplinæ Philosophicæ generatim consideratae, arctissime inter se sunt conjunctæ, ita quælibet quoque speciatim disciplina cum altera pulchra cohæret. Sic dici potest Physicam cum Logica & Mōrali scientia nexus quendam habere.

TH. V.

Objectorum diversitas Disciplinarum Philosophicarum differentiam determinat.

A 2

TH. VI.

## TH. VI.

In conclusionibus inveniendis principia adesse debent & meditatio, vi cuius quid ex ideis, quibus principia constant, derivari possit, perspicimus.

## TH. VII.

Inter difficillimas, quæ a Philosophis agitari solent quæstiones, non insimum locum quæstio tenet de ortu animæ rationalis.

## TH. VIII.

Sententiæ Philosophorum, præexistentiam animalium statuentium, assentiri non possumus.

## TH. IX.

Qui historiam animæ condere volunt, ante omnia id necessarii existimant, ut eundo per annales ævi & Philosophorum sectas, varias variorum colligant sententias: labore quidem improbo, sed perquam utili.

## TH. X.

Anima nostra est obnoxia continuis mutationibus & semper alias atque alias habet repræsentationes; neque ullam in nobis deprehendimus rationem sufficientem, cur potius existamus, quam non existamus.

## TH. XI.

Anima humana ad cogitandum sive ad distinctas perceptiones corpore non indiget, unde patet, illam etiam a corpore separatam distinctarum perceptionum capacem esse.

## TH. XII.

## TH. XII.

Inter excellentes illas tres facultates ingenii hominibus a DEO concessas , ratio primarium tenet locum;

## TH. XIII.

Cognitio nostra a sensibus inchoatur , & collectis combinatisque rerum ideis , magis magisque perficitur.

## TH. XIV.

Certitudo cognitionis consistit in convictione intellectus. Fallunt ergo & maxime falluntur ii, qui putant convictionem sequi certitudinem.

## TH. XV.

Rationi non consentaneum videtur , animam membra corporis immediate movere.

## TH. XVI.

Intellectus humanus omnes ideas distincte nullo modo cognoscere potest, nunquam enim non imbecillitas intelligendi ipsum comitatur.

## TH. XVII.

Essentia voluntatis consistit in libertate,

## TH. XVIII.

Voluntatem malum quatenus malum appetere ; & bonum quatenus est bonum averteri , ex nulla parte concedi potest.

## TH. XIX.

Nec Decreto nec Præscientia Dei libertati humanæ aliquid detrahitur.

## TH. XX.

## TH. XX.

Veritas eorum, quæ in hoc mundo eveniunt, ante decretum spectatur ut determinabilis, post decretum ut determinata.

## TH. XXI.

Juris fundamentum in creaturas petendum est ex omnimoda illarum a DÉO dependentia.

## TH. XXII.

Non confundendum est lumen Naturæ cum lumine rationis.

## TH. XXIII.

Lex Naturæ in statu integritatis fuit quoad præcepta generalia eadem, quæ nunc est.

## TH. XXIV.

Potentia legem Naturæ cognoscendi est omnibus congenita: Actualis autem cognitio ætate matura & studio debito acquiritur.

## TH. XXV.

Homo obligatus est ad actiones suas dirigendas non pro suo arbitrio, sed Domini voluntate.

## TH. XXVI.

In Statu præternaturali nulla observatur lex, nulla obligatio, & actiones ibi patratæ non liberæ, sed necessariæ sunt censendæ.

## TH. XXVII.

Actiones indifferentes dantur secundum obligacionem *specialem*, non *generalem*.

## TH. XXVIII.

Ex temperamentorum varietate diversos oriri adte.

adfectus , motus & propensiones , nemo inficias  
ire potest.

**TH. XXIX.**  
Religio Naturalis ad salutem æternam conse-  
quendam & conscientię mortis sanandos homini  
Peccatori , in statu perfectionis moralis constituto ,  
insufficiens est.

**TH. XXX.**

DEus agit propter rationem sufficientem , hoc est  
propter motiva : Unde liquet ; ipsi perinde esse non  
potuisse , an hic mundus existet , unde sapientissimæ  
ipsi fuerint caussæ , cum hunc potius quam alium crea-  
re decreverit ; ratio in objecto quærenda est , cur DEO  
magis hoc quam illud conveniat mundi systema .

**TH. XXXI.**

DEus in hoc mundo nihil in particulari decrevit ,  
sed omnia in relatione ad totum universum & respectu  
manifestationis gloriæ suæ . Cumque malum & Phy-  
sicum & Morale huic mundo implicitum est , etiam id  
ad eundem finem permittere decrevit .

**TH. XXXII.**

Nihilominus est hic mundus perfectus & con-  
sistit ejus perfectio in eo , quod omnes fines particula-  
res in generalem tendant .

**TH. XXXIII.**

DEum esse omnipræsentem , tam ex Idea Entis  
Perfectissimi , quam ex dependentia creaturarum non  
in prima tantum earum a DEo creatione , verum etiam  
conservatione probatur .

**TH. XXXIV.**

TH. XXXIV.

Quisquis existentiam Summi Numinis, hominis ab illo dependentiam & inde nascientem Religionem Naturalem agnoscit, is facile videt, & suas & aliorum actiones cum manifestatione Gloriæ benignissimi Creatoris & Conservatoris omnium rerum , & cum ipsius Naturalis Religionis præceptis maxime convenire: sed optimum Numen a Creaturis multoties contemni, ipsoisque homines in propriam ruere perniciem, lubenter concedet.

TH. XXXV.

Damnandi sunt illi , qui casum & fortunam respectu DEI dari statuunt.

TH. XXXVI.

Nemo alterius errores refutare & ipsi veritatem demonstrare potest , nisi ipse omnia ea , quæ ad veritatem stabilendam pertinent , adeoque integrum veritatis Systema noscat.

SOLI DEO GLORIA.

